Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1403

Quelle:
Copyright:



16. c. *ſcripta videlicet iſta: Gloria domini apparuit in nube.* &c. Praecedente multo brevior.

VI. *fol.* 95. Ipſa *Jacobi* Interpretatio, cujus ingreſſus: *Quatuor ſunt minima terre et ipſa ſunt ſapienciora ſapientibus. Prov. XXX. Septem epiſtole que canonice id eſt, regulares nuncupantur edite ſunt a quatuor apoſtolis* &c. et finis: *et ſic ab eo recipietur in gloria, cuius participes nos efficiat dominus* &c.

## DCXXIII.

U. 224 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 326. 4. paene totus manu illius exaratus eſt, quem Titulus praefert: *Tractatus contra bohemos Magiſtri thome ebendorfer de haſtpach arcium et ſacre pagine profeſſoris et plebani in Perichtolſtarff et canonici ad ſanctum Stephanum in Wyenna.* Additur: legatum ab eo fuiſſe teſtamento *ad collegium beate M. virginis domus rubee Roſe apud fratres predicatores Wien.* Comparet vero I. *Poſicio Boemorum per M. Johannem de Rokiczana* 1433. III. *poſt Epiphaniam.* Nempe *Baſileae* in Concilio. Init: *Cum ſuper omnia deſideramus honorem dei* &c. et extat T. IV. *Supplem. Manſii* ad *Collect. Concill. col* 443. Margini *Haſelbachius* adſcripſit: *Caue et vide caute.*

*Fol.* 20. p. 2. Tractatus *Thomae Haſelbachii* minio inſcriptus: *In Concilio Baſilien. in vacacionibus paſce* 1434. et ad calcem: *Finitur Reprobacio queſtionis contra Rokiſana et Boemos de vtraque ſpecie ewkariſtie ſciſma in eccleſia conſtituentes et ſe pertinaciter in fide ab ea ſeparantes. In die paraſceues Baſilee in Concilio* 1434. Initium eſt: *Profeſſio me incitat et zelus fidei et domus dei perurget aduerſus hec impia dogmata Boemorum vibrare clipeum ex teſtimonijs in eternum fundatis glutinatum ſuccinctius fundando contrarium et motiua diſſoluendo, que coram ſanctiſſimo cetu huius ſacri Concilij quidam Boemorum nomine non erubuit deducere in medium tanquam ipſe ſolus norit abſcondita miſteriorum et fidei patefacere archana. — Quamvis ergo in hac re quondam contra Jacobellum — tractatum quendam legendo in ſcolis ediderim, in quo diffuſius proceſſi per plura capitula, tamen — manipulos colligere decreui poſt terga metentium* &c. *Haſelbachium* ab Academia *Vien.* cujus Orator erat, juſſum fuiſſe a. 1433. ſe Communioni ſub utraque obponere, habemus in ejus Vita P. I. *Scriptt. Univ.* p. 150. Mirum tamen videatur, *Rokiczanam* integro poſt anno ab eo refutari, niſi ſit error in anno, quod admittere difficile eſt, cum annus 1434. bis memoretur. Theologum cetera praeſtantem, et in Patrum lectione verſatum confirmat haec Tractatio, quam, ut et illam contra *Jacobellum*, a nemine hactenus indicatam novi. Ceterum per errorem Compactoris inſerta eſt illi a *fol.* 55—58. alia, quam igitur ſeorſim adfero.

*Fol.*